



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Metrica Paraphrasis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

SPECVLI VANITATIS  
 SECTIO TERTIA.  
 ECCLESIASTES.

VERS. 8. Quid habet ampliùs sapiens à stulto? &  
 quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita?

METRICA PARAPHRASIS.

**O**DI ventriculi mancipia & cutis,  
 Nautas symposij, & remigio improbo  
 Damnatos calicum, sola quibus sapit  
 Ferclis luxurians mensa superfluis,  
 Queis vita in patinis seruet, & ignea  
 Vis mentis Bromij mergitur amphoris.  
 Non tali sapiens exacuit famem,  
 Aut nutrix sophie pauperies, dape:  
 Nec virtus humili polluitur luto:  
 Sed pennis superans præpetibus vagos  
 Tractus Æolidum & nimbisoni Iouis,  
 Infert auricomis sideribus caput,  
 Æternique Patris se gremio inserit,  
 Vt vita liceat munere perfrui,  
 Quam non tela necis, non fuga temporum, aut  
 Annorum series innumerabilis,  
 Non præses Lachesis lanifica colus  
 Fato subruere, aut immemori queat  
 Busto posteritas inuida condere.  
 Iamque è stelliferis indigetum arcibus  
 Despectans humiles terrigenum casus,  
 Ridet quas stolidi suspiciunt opes:  
 Ridet velinolis aquora puppibus  
 Contracta, & spoliis Antipodum graues

Pinus,

Pinus, sollicitus quas regit insitor,  
 Exsanguis toties, quot furus Noti,  
 Aut flabris Boreæ pontus inhorruit.  
 Ridet quos Cybeles visceribus diem  
 Exosos piceo nox sepelit specu,  
 In lucem ut referant fulua pericula,  
 Quæ styx furua sinu rectius occultit.  
 Nec sortis nimie velificat spei,  
 Aut Numen precibus poscit emacibus,  
 Desponsa ut tumeat dote proteruior  
 Fortune, aut variis crescat honoribus:  
 Sed faustis populi plausibus altior,  
 Splendescit proprio sidere pulchrius;  
 Humanasque vices sub pedibus premens,  
 Fortune dominam se ancipitis probat,  
 Amplas ipsa sibi sufficiens opes,  
 Lautas ipsa sibi delicias parans,  
 Contracto melius pasta cupidine.  
 Hanc tu, cum impulerit dira necessitas,  
 Supremumque diem fata recluserint,  
 Non fletu decores, aut laceris comis,  
 Non cippo, aut apio, aut carmine præfice,  
 Non totus sapiens tristibus occubat  
 Umbris, aut tumuli margine clauditur;  
 Sed ritu Pharij prorogat alitis  
 Annos è cinerum fraude superbior.  
 Queris quo tumuli margine sepias  
 Virtutem? patuli da spatium poli.